



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Allocutiones Sacræ, Svper Evangelia Dominicarvm totius anni

Jahoda, Johann

Pragæ, [ca. 1659]

Ad Lectorem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51496](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51496)

AD LECTOREM.



Ecdum opus hoc sub Autoris calamo bene maturuerat, cum (ut primi partus festinare solent) literæ impatiens in publicum prodire gestiebat, quantumlibet ei occlamaretur:

*Nescis heu! nescis docti fastidia secti
Crede mihi, nimium turba moderna sapit.
Audieris cum grande sophos, dum basia captas,
Ibis ab excusso missus in astra sago.*

*Martial.
lib. 1. epig.
ep. 4.*

Verum excusabis audaciam istam, Amice Lector, ubi consideraveris parvis rebus commune hoc esse vitium, ut ament conspici. Parva sunt, fatemur, quæ leges; sed sicut *in magnis voluisse*, ita à parvis incepisse *sat est*. Quis facile à summis coepit? Ne ipsa quidem natura tantum virtutis habet: *omne siquidem principium grave*. Et fuit enim verò adeo grave libri hujus Autori, ut animum omnino despondisset, nisi Auditoribus suis, qui jam quadriennio ipsum pro Corona sua dicentem audiunt, serviendum duxisset. *Allocutiones sacras*, quàm Conciones appellare libuit, tum quia inter tot famosos Concionatores censeri meritò verecundabantur, tum quia sacræ methodo scholasticam subinde admiscerent. Quanquam exquisitum in ijs, & phaleratum stylum ne quæsieris; cum veritas & doctrina Evangelica, per simplicia magis, quàm composita verba clarescat.

Alterum in Festa Opus sub ferula etiamnum est, quod & ipsum (si modò faverint Superi) brevi fortè castigatius Tibi exhibebitur. Vale.



APPRO-